



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hydra Prophanarum Novitatum, Sive Descriptio Historico-Theologica causarum principalium omnium irrepentium Hæreseon ac Schismatum: unàque Generalis earundem prophanarum Novitatum confutatio**

**Alexander <a Sancta Theresia>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Caput I. Philautia ac superbia sunt Schismatis ac prophanæ Novitatis, seu  
irrepentis hæresis causæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35361**

aut hæreticorum reliquias venerantes. Circa hæc est tamen observandum, non omnes prædictos eodem gradu suspicionis de hæresi esse suspectos, sed alios solum levi, alios vehementi, alios autem violentâ; imo aliquos in quibusdam circumstantiis nullâ, uti de matrimoniâ cum hæreticis contrahentibus, aut eisdem sepelementibus, subindicavi. Pleræque autem falsorum doctorum notæ tradentur in decursu.

HYDRÆ PROPHANARVM

Novitatum

CAPUT I.

*Philantia, ac superbia sunt schismatis ac prophana Novitatis, seu irrepentis hæresis causæ.*

DOCTOR Gentiū suum volens confirmare ac informare Timoth. ne moveretur, aut miraretur, cum temporibus futuris visurus esset novas in Ecclesia subnasci hæreses, seu prophetas novitates, de quibus ipsi aliquando scripserat: (a) *O Timothee, depositum custodi, devitans prophetas vocum novitates.* Et alio loco: *Pro-* a 2. Tim. 2  
*phana autem & vaniloquia devita:* rursus eum præmonuit pessima Novatorum vitia, exprimendo, unaq; hæreseon causas indicando: (b) b 2. Tim. 3  
*Hoc autē scito, quod in novissimis diebus instabūt tempora periculosa; erunt homines seipso amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obediētes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pietate, criminatores, incontinentes, immites, sine ben-*

G 3

gnitate,



gnitate, proditores, proserui, tumidi, & volu-  
 tum amatores magis quam Dei: habentes spec-  
 quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegant.  
 Et hos devota... Hi resistunt veritati, homines  
 rupti mente, reprobi circa fidem. Ubi Aposto-  
 quasi chiliadem volens describere criminum  
 quibus hæretici sese conspurcant, philautiã  
 inordinatũ sui ipsius amorem, veluti cæteram  
 causam ac fundamentũ, præmisit. Unde The-  
 phylactus hunc locum, *Erunt homines seipsum  
 amantes*, exponens ait: *Statim malorum omnium  
 causã produxit in mediũ, quod suis quisque  
 proficiat, quã proximi commodis, ei namque,  
 sui ipsius dumtaxat trahitur charitate, accidit  
 ut nec ipse se amet.* Ad verbum autẽ illud, *cupit  
 subdit, Cum malorum explicasset rationẽ, et  
 mos sigillatim enumerat: quos ramos ex pro-  
 pullulantes amore, ad contemptũ Dei cre-  
 docet S. Aug. (a) *Civitas Dei*, inquit, *incipit  
 construitur ex amore Dei, & crescit ad odium  
 ipsius: civitas verò diaboli incipit ab amore sui,  
 crescit usque ad odium Dei per contemptum pro-  
 morum.* Est igitur inordinatus sui amor fontis  
 omniũ malorũ, adeoq; & mali nocentissimi  
 resis, nam ex immodico hoc sui affectu oritur  
 ut eo prævento omnia sua placeant, novis  
 ad inventionibus delectetur, eisq; tenaciter  
 hæreat; inde nascitur excæcatio, obstinatio,  
 pertinacia latissimã ad hæreses portã: ut ver-  
 simè dixerit Plato: (b) *Philautus qui se amat,  
 se ipsum magis quam veritatem honorandam  
 ter, quid justum, bonum, pulchrum sit, malè**

a Lib. 1. de  
 Civitate Dei

b Lib. 5.  
 de legibus.



cat. Hinc heretici amore proprio excecati, propria phantasmata indicant Evangelia, errorem veritatē, & veritatem errorē, Catholicā sanctā pietatem hypocrisim ac superstitionē, & cum in omnibus carnali moveantur cupiditate ac philautia, tamen divinæ charitatis victimas, ac præcones sele jactitant.

Ex hoc generali omnium malorum fonte proximè pessimus nascitur rivus particularis, & omnibus heresibus causa communis, superbia nimirum, id est elatio, arrogantia, ac insolentia: quod Apost. significavit, cum suprā, postquā hereticos dixisset *seipso amantes*, subdidit futuros *elatos superbos, tumidos*. Noentissimū sanè malū, ac tantoperè hereticis omnibus familiare ac proprium, ut nescias an eo magis laborarint veteres, an novissimi. Tanti autē præsens de superbia sermo, ut hæreseos causa, est momenti, ut vir crudelissim⁹ ac in reb⁹ ad hæreles spectantibus versatissimus Gasparus Ulenbergicus (a) asserat, ex ea causæ illi⁹, quæ inter nos & Evangelicos disputatur, totum ferè pondus & omne momentum dependere; & rationem addit: *Superbia enim, inquit, omniū hæreseon mater est*, ut adeò, si ea toto orbe proflingeretur, nulla sit uspiam hæresis futura. Erit proinde operæ pretium, si materiam tanti momenti nonnihil producamus.

Nascitur igitur ex superbia hæresis, cum homines seipso amantes, sæcularique scientiā, ac vanā sui æstimatione inflati, sentiunt de se suprā quàm decet, & plus sapientes quàm oportet, pro-

a Lib. de  
causis cup  
catholicis  
in fide sit  
perma-  
nendum  
Ec. cap. 7,



phanas seu hæreticas producunt novitates popularé gloriã, ac plausû aucupantur; cû mentem ad eum viã regiã, ac per semitas antiquas gradientes nequeãt perungere, devia, nova, ac heterodoxa requirunt, ut præfixum inanis gloriæ scopum assequantur: tamq; inflexibili, ac pertervã suis ad inventionib<sup>9</sup> adhærent pertinaciter ut malint fidei dogmata subverti, quã à veritate victi videri: quod si cõtingat eos Catholicorũ argumentis superari, nihil relinquunt intentũ, ne simplicibus videantur succubuisse, & hac agnita victoria aliqua eis intentæ gloriæ pars depercat, adeò ut ipsas S. Scripturas, quæ suis prophanis novitatibus apertè repugnant cognoscunt, corrumpere, radere, ac truncare non vereantur, parati potius Ecclesiam suscipere, deq; vertere, imò pellẽ deponere, quã dilectum errorem, unde laudẽ ac famã expectant, abrenunciare. Cû verò tandem superciliosus eorũ timor, ac pertinacia Ecclesiæ probari nequaquam possit, idque ipsi met probè perspiciant, forsprovocant, altare, contra altare erigunt, ac inversim discipulos colligunt quibus novitates suas persuadere se posse existimant, sicq; palamento superbiæ agitatæ à tritico separantur, & ex area Christi efferuntur.

His pauca de proximo superbiæ ramo, ambitione, seu inordinatã dignitatis appetitione texamus; hãc enim illustres sæpè viri, & tum pietate singulari, tum excellenti eruditione clarissimi, incensi, maximas sæpè turbas, funestissimasque hæreses in Ecclesia pepererunt. Cû enim



ambitione, dignitatibusque splendore mentes fascinantur, tum rationis iudicium obæcatur, ac animus totus omnibus modis, nervis ac viribus in hoc incumbit, ut præfici possit, & loco eminentiore potiatur. Hinc autem efficitur, ut odio alios prosequantur, qui apti sunt ad munus, quod expetunt, obeundum, nec non illos, ad quos spectat idem munus conferre, averfentur, calumniantur, ac ab eorum se separent communione, si repulsam aliquando patiantur: quod si nec persecutio, nec odium, aut simplex schisma ad percipitum dignitatis gradum sufficiat adipiscendum, Hæresim addunt, ac seorsim sectas ac Synagogas, in quibus ut capita ac Prælati, aut ut Doctores ac Magistri præfint, instituunt, uti inferius pluribus comprobabimus exemplis: & hinc illustri à Waldensi nostro mutuato confirmo testimonio. (a) Supremi Episcopi suprema sunt membra: Sed Hæretici omnes hoc conantur destruere, ne Ecclesiæ dignitates consequantur homines ex electione, scientes, quod ipsi non sint eligendi propter infamiam Hæresis; & idcirco procurant sibi licentiam propriæ superstitionis. Unde Cyprianus in libro contra Hæreticos ante medium. (b) *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti sint in nobis.* Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur, sic & ante iudicii diem hic quoque jam iustorum, ac iniustorum animi deteguntur, & à frumento paleæ separantur. Hi sunt, qui se ultro apud temerarios conve-

a Lib. 2.  
art. 3. cap.  
61.

b 1. Cor. 11.



nas sine divina dispensatione præficiunt, quæ  
 se Præpositos sine omni ordinationis lege  
 constituunt, qui nemine Episcopatum dante  
 te, Episcopi sibi nomen assumunt. Quos deus  
 signat in Psalmo (a) Spiritus Sanctus sedens  
 in cathedris pestilentia, pestes & lues  
 dei serpentis ore fallentes, & corrumpendæ  
 veritatis artifices, venena lethalia linguis pe-  
 stiferis evomentes. Hæc ille. *Auctor.* Vnde  
 dicit antiquum sanctum Patrem eos testari  
 Hæreticos qui spretâ ordinationis lege se  
 constituunt: & nullo hominum Episcopo  
 tum dante sibi Episcopi nomen assumunt.  
 Hæc cum S. Cypriano Waldensis. Sic novissimi  
 Hæretici Calviniani, Luthericolæ, horumque  
 sequaces, Episcopis Catholicis fugatis, sese  
 intrudunt, & ut ambitionis notam evadant,  
 nomē mutant, ac se Superintendentes  
 qui Græcè Episcopi dicuntur, appellari volunt.

Audiamus post hæc SS. Patres ac Scripturas,  
 ea, quæ ratione deduximus, suâ roborantes  
 autoritate. Imprimis itaque S. Augustini  
 verba, quæ aliquando opposuit Fausto Ma-  
 nichæo, superbiâ obcæcatis Hæreticis reliquæ  
 jure appropriantur: (b) *Hæc presumptio, inquit,  
 tumida arrogantia oculum cordis vel claudit,  
 ut omninò non videat; vel distorquet, ut  
 perversè videat, & aliud pro alio probet, aut  
 improbet.* Quod amplius Divus illustrat Grego-  
 rius, ad hæc verba Prophetæ Job: *Ipsi sunt  
 rebelles lumini.* Sic enim subdit: (c) *Quia  
 (Hæretici) ergò non per ignorantiam, sed per  
 superbiam*

a Psal. 1.

b Lib. 16.  
 cap. 4.  
 contra  
 Faust.

c Lib. 16.  
 Miral.  
 cap. 14.



superbiam delinquunt, elationis suæ scutum jaculus veritatis obiciunt, ne salubriter in corde feriuntur. Ex qua videlicet eorum superbia agitur, ut qui nolunt facere quæ cognoscunt, nec cognoscant jam bona quæ faciunt, sed sua eos cæcitas à veritatis lumine funditus excludat. Unde alio loco infert: (a) *Heretici igitur de loco suo veniunt: quia contra sanctam Ecclesiam ex superbia moventur.* Dixerat autem antè: *Hereticorum quippè locus superbia est:* Ex uno, velut ex sasanica munitissima arce, insolenter adversus Catholicos profiliunt in prælium. S. Judas Apostolus paucis, quæ latius deduximus, complectitur, dum superbiam Hæreticorum notam asserens, inquit: (b) *Et os eorum loquitur superba:* cum verò os loquatur ex abundantia cordis, consequens est, cor Hæreticorum vanum, superbiâque existere inflatum, omnisque superbi Hæretici, arrogantisque erroris fontem. Judæ autem sententia sumpta est ex Psalmo, (c) in quo de Dei Ecclesiæque hostibus ait Propheta: *Os eorum locutum est superbiam:* id est, superba, tumida, ac fastuosa. Volunt itaque dicere Judas Apostolus, ac Propheta David: Quoties seductores isti de rebus divinis, aut virtutibus sermonem habent, id quod non rarò faciunt, nihil humile, modestum vel temperatum proferunt; at superba, magnifica, pompatica, sequi pedaliaque verba effutiunt, seipos fastuosè jactant, omniaque ad propriam commendatio-

a Lib. 3.  
Moral.  
cap. 17.

b Epist. 116.  
de v. 16.

c Psal. 16.



dationem, vanamque gloriam componunt  
 Crepitant obscura quæq; de æterno Dei con-  
 filio, decretis, præscientia, ac prædestinatione  
 de cæna super cœlesti ac spiritali communio-  
 ne, de adoratione mystica Dei in spiritu  
 veritate, de gratia ac justificatione, de fide  
 energia, specie præstantia, & charitatis emi-  
 nentia. De his aliisque fidei mysteriis, ut ad-  
 ficatores turris Babel, superbas cogitatione  
 animo pertractant, & dum occasio fuerit  
 ponunt in cœlum os suum, & lingua eorum  
 transit in terrâ, dicentes: (a) *Linguam nos-  
 tram magnificabimus, quis noster Dominus est?*  
 Se solos jactant esse sapientes, se solos veritatis  
 Doctores, solos Evangelicos, virtuosos  
 reformatos, cæteros ignorantés, ac scelestos.  
 Ecquid mirum, cum omnium Hæreticorum  
 pars solium suum super thronum Altissimi  
 voluerit elevare? (b) Filius quoque perditionis  
 in quo Sathan (teste Divo Irenæo) (c) omnia  
 suam recapitulabit iniquitatem & superbiam  
 elevabit & magnificabit se contra Deum, &  
 adversus Deum Deorum locuturus est ma-  
 gnifica. Est igitur superbia infallibilis Hære-  
 tici animi nota, cunctarumque prophanarum  
 Novitatum causa, quod expressis discer-  
 tisque verbis Magnus Augustinus, (d) perpe-  
 tuus Hæreticorum malleus, edocuit: *Alia  
 secta, ait, in Africa, alia hæresis in Oriente, ali-  
 lia in Egypto, alia in Mesopotamia, verbi gratia.  
 Diversis locis sunt diversa, sed unam rem  
 super-*

a. *Isa. II.*

b. *Isa. I. 4.*

c. *L. b. 5.*

d. *Tom. 9.  
de Pastori-  
bus cap. 8.*



*Superbia omnes genuit, sicut una mater nostra  
Catholica omnes Christianos fideles toto orbe  
diffusos.*

Istud hic superest addendum, esse nimirum quoddam superbiorum hominum genus, qui, ut sua, aut suorum probra tegant, schismata, turbas, ac hæreses excitant, probrum unum aliò sceleratiore molientes obvelare. Sic olim Theodotion Christum hominem tantum astruebat, propterea quod in persecutione lapsus, sicut S. Augustinus scribit, (a) istò modo casus sui se opprobrium vitare posse putabat, si non Deum, sed hominem negasse videretur. Nec dissimile fuit Helchetais, teste Eusebio, (b) à quo Helchetaitæ dicti sunt, consilium, qui suum, & sequacium suorum vel imbellem ignaviam, vel impiam proditorem & apostasiam aliquò speciosò fucò coloraret, docuit, fidem in persecutione absque peccato negari posse, sceleratam impietatem sceleratiore regumento involvere & operire nitens, ne scilicet sui lapsus dedecus & probrium sustineret. Ad eundem planè modum plerique nostræ ætatis sectarii errorem unum aliò detriore præsumunt contegere: sic enim, ut suam ab Ecclesia Catholica defectionè splendidò operculò tegant, dicunt eam à fide defecisse, imò in idololatriam degenerasse. Ut suam adversus Summum Pontificem pallient rebellionem, asserunt enim nec Caput esse Ecclesiæ, nec infallibilem Controversiarum fidei

a *Heres. 33.*

b *Hist. Eccl. lib. 6. cap. 28.*



dei Judicem. Ut suas scortationes & in-  
stas libidines excusent, vota castitatis & ob-  
dientiae non servanda, neminemque pudice  
ac castè vivere posse, dogmatizant, sicque  
sua crimina impiè criminibus palliant, ven-  
tatem Dei in mendacium convertentes.

Recenseamus modò alia quædam exem-  
plorum prophanorum Novatorum, qui glo-  
riæ, dignitatisque causâ facti fuere tetri Hæ-  
resiarchæ, inde enim dicta hæctenus evadent  
illustriora. *Diotrephes* (Venerabili Beda

*a In Epist.  
3. Ioan.*

iste, (a) temporibus Apostolorum Hæresiarcha  
exiit, superbus quidem ille & insolens, ma-  
gnèque nova docendo primatum usurpare scie-  
tia, quàm antiquis sanctæ Ecclesiæ, quæ Joanne  
Apostolus predicabat, humiliter parere atque  
auscultare mandatis. Hæc Beda. Iste igitur

*b 3. Ioan. 8.*

Diotrephes primas usurpabat in ea Ecclesiâ  
qua degebat Cajus, Joanni Apostolo & charis-  
simum & familiarissimum, cui de Diotrephes  
his scribit verbis: (b) *Scripsissem forsân Eccle-  
siæ, sed is qui amat primatum gerere in eis, Dio-  
trephes non recipit nos. Propter hoc, si veni-  
mus commovebo ejus opera quæ facit, verbis mag-  
nis garriens in nos, & quasi non ista ei sufficiant  
neque ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt  
prohibet, & de Ecclesiâ ejicit.* In Hoc itaque  
Hæresiarcha Joannes Apostolus accusat  
guæ petulantiam, ambitionem, inhumanita-  
tem, & in fratres tyrannidem, cujus exem-  
plum novissimi Sectarii studiosè imitantur, Simo-



ille Magus, magnus Hæreticorum Coryphæus, ut Divus testatur Irenæus, (a) effutivit inter Judæos semetipsum esse, qui quasi Filius Dei apparuerit: in Samaria, quasi Pater descenderit; & in reliquis Gentibus quasi Spiritus Sanctus adventarit. Esse quoque se sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater. Sub Claudio autem Imperatore, statuâ Romæ publicâ instar Dei honoratus est. Menander hujus successor aiebat se eum esse, eodem Irenæo teste, (b) qui missus sit ab invisibilibus, Salvatorem pro salute hominum. Notum est quoque illos tumidis, altis & obscuris verbis ulos fuisse ad stuporem audientium, & sui ipsorum admirationem conciliandam, ut idem Apostolicorum temporum sanctus vir non semel conqueritur. (c) Prorsus etiam superba & magnifica de seipsis senserunt & locuti sunt Apelles, Montanus, & Manes, quando se pro ipso met Spiritu Sancto Apostolis promisso protervè venditarunt, & alia portentosæ superbiæ monstra protulerunt. Narrat Eusebius Cæsariensis (d) Theobuten quemdam, cum non potuisset summum Sacerdotium, seu Episcopatum obtinere, septem hæreses excogitasse, easque populo pro cœlesti doctrina proposuisse. Arius, (e) cum invideret Alexandro Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo Prælaturæ honorem, novum de Christi natura & essentia errorem commentus est. Novati tumidissimi hominis ambitionem ita describit

a Lib. 1.  
cap. 20.

b Cap. 21.

c Cap. 18.  
23. 33. 34.

d Eccle.  
Hist. lib.  
4. cap. 22.

e Theod.  
lib. 1. c. 2.



in Eccl. hist.  
lib. 6. cap.  
6.

describit Nicephorus Callistus. (a) Rom  
 „ Presbyter erat Novatus nomine. Is fastu  
 „ jactantia inani sublatus, omnem ( ut in p  
 „ verbio est ) moverat lapidem , ut Rom  
 „ Ecclesiæ gubernationem consequeretur. I  
 „ bi autem omnia expertus, nihil egit ( e  
 „ enim timore, ambitione, & gloriæ cupi  
 „ tate immensa correptus ) in desperatione  
 „ incidit: tandem aliud quod faceret non  
 „ bens, ab Ecclesia seipsum segregans, p  
 „ prios cætus cogere, & novam quand  
 „ hæresim per defectionem instituere cœp  
 „ . . . Brevi sanè tempore permultis seducti  
 „ suum sibi constituit conventiculum; & a  
 „ rum qui propter sordes Cathari sive p  
 „ nominantur, Ducem se fecit. Quum  
 „ tem eum Episcopali dignitate, quam tam  
 „ pere dudum adamaverat, potiri oportere  
 „ per duos quosdam Sectæ suæ homines, q  
 „ salutem suam prorsus jam desperaverat  
 „ tres ad se Romam obscuri nominis ex l  
 „ Episcopos pertraxit. . . . Ubi eis in cond  
 „ conclusis, quidam ex ejus sodalitate per  
 „ morum crapulæ & ebrietatis gravedine  
 „ vim afferunt, & imaginariâ manuump  
 „ sitione Episcopalem dignitatem homini co  
 „ ferre cogunt. Quod sanè illi, vel inviti  
 „ atque necessitate adducti fecere. Et N  
 „ vatus honorem eum, quem tam scelerat  
 „ ut videbatur, consequutus fuerat, usurp  
 „ bat, eundemque contra obtretractores d  
 „ fendit



fendere parabat : homo in quo latanas do-  
micilium habens, Christi nomine & fide ad  
prætextum saltem uteretur. ,, Hæc Nicepho-  
rus. Quæ & S. Ambrosius confirmat : (a) *Episcopatus*,  
inquit, *amissi dolore succensus Novatus, schisma composuit.* Quæ verba cum  
retulisset Julius Waldensis noster, b) subdit de  
ambitioso Witcleff; *Et indubiè inter sapientes  
fama similis volavit de Witcleff, quod sciticee do-  
lore amissi Episcopatus in Reygorinensi Ecclesia,  
ad quem suspiravit incautè, hæresim suam susci-  
tavit contra dotationem Cleri, & omnem Ec-  
clesiæ dignitatem. Docilis in hoc scholari Ma-  
gistri omnium Hereticorum diaboli, qui omni-  
nibus Christianis invidet gloriam paradisi, qui  
ipse eam habere non potest.* Alio deinde loco  
(c) docet idem Waldensis, Witcleffum ad  
exemplum Aërii Hæresiarchæ ob amissum, ad  
quem aspirabat, Episcopatum, hæreses suas  
confinxisse. Augustinus enim dicit hanc hæ-  
resim fuisse Aërianorum lib. de hæresibus,  
cap. 53. Aëriani ab Aërio quodam dicti sunt,  
qui cum esset Presbyter, doluisse fertur,  
quod Episcopus non potuerit ordinari, & in  
Aërianorum hæresim lapsus propria addidit,  
dogmata nonnulla, dicens pro dormientibus  
non oportere offerri, nec statuta solemniter  
non esse celebranda jejunia : sed cum unus-  
quisque voluerit jejunandum : ne videatur  
esse sub lege : dicebat etiam Presbyterum ab  
Episcopo nulla differentia debere discerni. ,,

Hæc

a Lib. I. de  
pœnit.  
tom. I.  
b Tom. I.  
lib. 4. art.  
3. cap. 33.

c Lib. 26  
art. 3. cap.  
60.



„Hæc ille. *Auctor.* Ecce Patres Ecclesiæ,  
 „ce Principes. Hinc traxit Witcleff dog-  
 „perversum de Episcopis, quos omnino ex-  
 „dem dicit cum presbyteris: & inter quos  
 „fuit tempore S. Pauli adinventæ distinc-  
 „Quod ideò docuit Aërius, quia ad Episc-  
 „patum suspiravit, quem adipisci non po-  
 „rat. Ita creditur Witcleff fecisse, qui  
 „dixit Robertus Sarisburiensis Episcopus  
 „magna Synodo Cantuariensis Cleri,  
 „goriensis Episcopatum non assecutus fu-  
 „rat, quem optavit. Idem Hæresiarcha, te-  
 „Waldense, (a) discipulos suos *Angelos*  
 „jactabat.

a *Lib. 2.*  
*art. 3. cap.*  
*72.*

b *Contra*  
*Donatist.*  
*lib. 2.*

Delibemus post hæc specimina quædam  
 perborum ambitiosorumque Donatistarum  
 ex Optato Milevitano (b) eorum strenuo  
 tagonista. Imprimis exprobrat eis, quod  
 explebili guttore Sacerdotum esurirent ho-  
 res: *Esuritis, inquit, honores innocentium Sa-*  
*cerdotum. Unde furori vestro tanta fames in-*  
*ta est, ut gustura vestra sepulchra patenti-*  
*ceritis? Unicuique sepulchro sufficit unum*  
*nus, & clauditur: gutturi vestro honores*  
*minimè sufficiunt funera.* Vides hîc vivida  
 pictam coloribus insatiabilem ac tyrannicam  
 ætatis nostræ Hæreticorum ambitionem.  
 Quot Episcopos, quot Pastores, quot cupi-  
 vis Ecclesiasticæ dignitatis personas aut pro-  
 scripserunt, aut morte affecerunt, ut eorum  
 potirentur honoribus ac fortunis? Et adha-  
 patent guttura eorum; ut meritò de eis dictum



sit : *Sepulchrum patens est guttur eorum.*  
 Scribit deinde Optatus , (a) tam impiæ am-  
 bitionis phrenesi Donatum fuisse correptum, *a Lib. 8.*  
 ut se velut Deum extulerit , ac honorari cura-  
 rit, sic inquit : Carthaginis principatum se,  
 tenuisse crediderat : & cum super Impera-  
 torem non sit, nisi solus Deus, qui fecit Im-  
 peratorem : Dum se Donatus super Impe-  
 ratorem extollit, jam quasi hominum excel-  
 ferat metas, & se, ut Deum, non hominem,  
 æstimaret : non verendo eum, qui post  
 Deum ab hominibus timebatur. „ Paulo  
 infra. „ Qui exaltavit cor suum, ab  
 hominibus sibi superior videbatur, &  
 sub se omnes etiam socios suos habere  
 voluisset, de quorum oblationibus nun-  
 quam dignatus est accipere. In qua re me-  
 dia est fides, & Deus Christusejus, & quæ-  
 relæ multorum, quibus in ipsa societate  
 hanc injuriam faciebat : solus secretò nescio,  
 quid ageret, & postea cæteris perfunctoriè,  
 misceretur : modò exaltatum est cor ejus, ut  
 sibi jam non homo, sed Deus fuisse videre-  
 tur. Denique & in ore populi rarò est ap-  
 pellatus Episcopus, sed Donatus Carthagi-  
 nis dicebatur. Et meritò Princeps Tyri, *b Exec. 18.*  
 (b) id est, Carthaginis, appellari & increpa-  
 ri meruit : quia primus Episcoporum, quasi  
 plus esset ipse quàm cæteri; & dum nihil hu-  
 manum voluit habere, exaltavit cor suum :  
 non sicut cor Dei, dum à cæteris hominibus,  
 aliquid plus esse cupiebat ? Ad quem Deus,



„sequitur dicens: Dixisti ego sum Deus.   
 „eò, quia quamvis non sit usus hac voce,   
 „men aut fecit, aut passus est, quod debet   
 „ctum hujus vocis impleret. Extulit   
 „suum ut nullum hominem sibi comparare   
 „dum arbitraretur: & tumore mentis tuar   
 „tior sibi visus est esse. Quidquid est   
 „pra homines, jam quasi Deus est. Dem   
 „cùm Episcopi Deo debebant famulari, tan   
 „tùm sibi ipsos exigit, ut eum non min   
 „metu omnes venerarentur, quàm Deum   
 „Hoc est quod sibi Deus visus est. Et cùm   
 „per solum Deum solent homines jurare   
 „passus est homines per se sic jurare tanqu   
 „per Deum; in quo si unusquisque homin   
 „erraverat, ipse prohibere debuerat: cùm   
 „prohibuit, Deus sibi visus est. Deinde cùm   
 „ante ipsius superbiam omnes qui in Christi   
 „crediderant, Christiani vocarentur, ausus   
 „populum de Deo dividere, ut qui illum se   
 „cuti sunt, jam non Christiani vocarentur   
 „sed Donatistæ. Hæc Optatus de Lucif   
 „rina Hæresiarchæ istius superbia, quàm discip   
 „pulus ejus Lutherus sit similis Magistro, con   
 „stabit infra.

Eò tandem insanæ elationis excrevisse scri   
 bit Donatistarum superbiam, ut Catholicos   
 quavis occasione infamarent, nec suâ saluta   
 tione dignos arbitrarentur, sic, eos arguend   
 „affatur: (a) Scandala contra nos ponitis, man   
 „dando singulis, ne nos salutent: ne à no   
 bi

a Lib. 4.



bis dignationem accipiant. Considerate ver-  
 ba superbiæ vestræ. Considerate tractatus,  
 mandata, actus quoq; vestros revolvite: in-  
 venietis oseum vestrum timuisse, qui rogabat.  
 Nullus vestrū est qui non convitia nostra suis,  
 tractatibus misceat: qui non aut aliud mutet,  
 aut aliud explicet. Lectiones Dominicas in-  
 cipitis, & tractatus vestros ad nostram inju-  
 riam explicatis. Profertis Evangelium, & fa-  
 citis absenti fratri convitium. Auditorum a-  
 nimas infigitis odio inimicitias suadendo,  
 docendo suadetis. Hæc omnia dicendo, con-  
 tra nos scandala ponitis. Ergò unicuique ve-  
 strum dictum est: Sedens adversus fratrem,  
 tuum detonabas, & adversus filiū matris tuæ,  
 ponebas scandalum. Peccatorem arguit &  
 sedentem increpat Deus: specialiter ad vos di-  
 ctum esse constat, nō ad populum, qui in Ec-  
 clesia non habet sedendi licentiam. Vides er-  
 gò proculdubio vobis imputari debere cum  
 dicit Deus: Sedens adversus filium matris,  
 tuæ ponebas scandala. Unam matrem nos  
 habere jam toties comprobavi: nec vos ne-  
 gare potestis, qui contra nos scandala poni-  
 tis, dum aliqui vestrum & non intellectas pro-  
 ferunt Lectiones, ut auferant etiam illud,  
 quod inter omnes solet esse commune, salu-  
 tationis videlicet officium. Nam & vos ipsi  
 aliqui imperfunctoria salutatione oscula de-  
 negatis solita. Et docentur multi, ne Ave,  
 dicant cuique nostrum: & videntur sibi hoc

H ; de



21. Tim. 2.

de lectione, sed non intellecta mandare, ignorantibus, de quibus Apostolus (a) hoc dixerit: Cùm his nec cibum capere, Ave illi dixeritis., Quod de Hæreticis tantùm dicitur probat Opratus. Quàm verò aptè hæc omnia quadrant in novissimos nostros Hæreticos ac schismaticos, qui nedum nos Catholicos salutatione ac Ave indignos de Pharisaico supercilio aestimant, ac in suis conventibus symposiis, ac tragico-comediis inimicè irrident, convitiis, dictis, probris, calumniis onerant ac infamant, sed & dum purè verbum Dei (Diis si placeat) divendunt Summum Pontificem, Episcopos, Religiosos, totamque Ecclesiam, terribilibus dirisque ac mendosis injuriationibus profandunt, eòque quivis dignior apud eos est Verbi Dei Minister, quò plura ac horribiliora nos mendaces infamias effuderit, & has omnes exorbitantias ac nequitias se de Verbo Dei depromere, imponunt miseræ ac seductæ pibiculæ.

b De Ecclesia Christi dignoscenda Ec. lib. 1.

Verùm, ne veteres tantùm attingamus Hæreticos, novissimos eodem superbiæ ambitionisque morbo laborasse, ac æstuanti desiderio gloriam honoresque adfectasse, sibique procurasse demonstramus. Atque ut ab omnium principe ac duce Luthero exordiar, eum vehementer ambitionis vitio fuisse contaminatum, argumento illud est, inquit Illustrissimus Nogvera, (b) quod neque indulgenti pervu



pervulgare optasset, quas postmodum infestissime est abominatus, neque se (a) Dei gratia Ecclesiastem Wittenbergicum vocasset, nisi ambitionis ægritudine accensus fuisset. Decæteris, qui eius exemplo à Christi Ecclesia discesserunt, quid opus est loqui? Res ipsa clamat, tanta honorum cupiditate eos impelli, ut novâ voce se Episcopos vocent, & pro Episcopis haberi ac salutari velint. Nam vocabulum superintendens, quod illi passim usurpant, quid aliud Latinè significat, quàm quod Græcè nomen Episcopi? Lege tum alia eorum scripta, tum præsertim ea, quæ Confessiones vocant, & videbis longû Superintendentium Catalogum. Calvini ambitio, qua seipsum lupum expulso pastore, fecit Genevensium Episcopum, omnibus nota existit. Nemo denique de novissimorum Sectariorum est grege, inquit Laudatus Noguera, cujus animum hæc ambitionis labes non maculet. Adeò vera est illa Theodoretii (b) sententia, quæ Hereticos omnes ambitionis vitio asferit inquinari: Nec non illa S. Augustini, [c] quâ scriptum reliquit, multos esse, qui Ecclesiam idcirco deserunt, quod apud Hereticos eos adipiscantur honores, ad quos, si inter Catholicos versarentur, pervenire non possent. Constat quidem certè, teste Noguera, Joannem quemdam Lascum natione Polonum tantoperè dignitatem Episcopalem affectasse, ut primum Lutheri, de-

a Lutheri.  
Epist. ad  
falso dictos  
Episcopos.

b Præfat.  
in Eranist.

c contra  
Cresco lib.  
3. cap. 30.



inde Zvinglii dogma suscepit, quo in eo  
 du ac munere collocaretur. Id quod ad exte-  
 mum ab Eduardo Angliæ Rege obtinuit  
 eorum, qui propter veram Religionem  
 fertam in Angliam profugi erant, Rector  
 ctus, & peregrinorum Episcopus vocatus  
 Hujusce vitii ambitionis velut Hæreticis  
 priæ, non opus est plura enumerare exem-  
 pta, cum innumera sese offerant apud quo  
 seseologos; & ipsi scimus ob civilis Magistratus  
 honorem plures etiam fidem, prò ! abnegat  
 meritò ergò ait S. Chryostomus: (a) *Nihil  
 esse, quod Ecclesiam ita divellere queat, atque  
 ambitu dominandi.* Jure quoque exclama-  
 vit Timon ille: *O miseri homines, omnium malorum  
 vestrorum fons & origo est ambitio.*

*a Hom. 11.  
 in 4. cap.  
 ad Ephef.*

Lutheri, discipulorumque ejus, quadam  
 nus adumbravimus præsidendi dominandique  
 libidinem: nunc eorundem arrogantiam, præ-  
 sumptionem, temeritatem ac plus quam  
 Thraonicam jactantiam consideremus, &  
 non absque ingenti stupore ac horrore. Sane  
 nihil his hominibus superbius, nihil elatius, ni-  
 hil jactantius humana mens valet excogitare  
 eorum quilibet suum commentum, sui que  
 capitis somnium ut idolum adorat, tantoque  
 defendit studio, ut alicujus vix mortalium re-  
 linquat, tribuatve quidpiam judicio: & ne qui  
 hæc à me confingi arbitraretur, ex propriis  
 Lutheri, Hæreticorum novissimorum Patri-  
 archæ verbis veritatem colligamus. *Ego, in-*  
 quit



quit impius Balathro , (a) *adversus dicta Pa-* a Lib. ad-  
 trum , & Angelorum pono Evangelium (hoc vers Re-  
 specioso nomine tetras suas intelligēs hæreses) gem An-  
 hîc sto , hîc sedeo , hîc glorior , hîc triumpho , hîc glia.  
 insulto Papistis , & omnibus dictis hominum ,  
 quantumlibet sanctorum. Nihil curo si mille Cy-  
 priani, mille Augustini , mille Ecclesie contra me  
 starent. Nolo doctrinā meam judicari à quocunq; ,  
 nec ab Episcopis , nec ab Angelis omnibus , &c.  
 Quid , per Deum rogo , hoc jactantius ? Nec  
 hoc solum Lutheranæ , ferè dixeram Lucife-  
 ranæ superbiæ specimen. Audi igitur & aliud  
 ejusdem superbissimum, & planè pleneq; sata-  
 nicum ad Catholicos omnes responsum: (b) b Aurisa-  
 Deponite quidquid armatura suppediāt veteres ber in col-  
 Orthodoxi, Theologorum schola , autoritas loq. Luth.  
 Conciliorum & Pontificum , consensus tot sacu-  
 lorum , ac totius populi Christiani. Nihil recipi-  
 mus nisi scripturas , sed sic ut penes nos solos sit  
 autoritas interpretandi. Quod nos interpreta-  
 mur hoc sensit Spiritus sanctus : quod adferunt  
 alii, quamvis magni, quamvis multi, à Spiri-  
 tu satanæ , & alienatâ mente profectum est.  
 Quis umquam Hæresiarcha , quis Antichri-  
 stus , quis Lucifer plus sibi umquam tribuit ; c Psal. 73.  
 & adhuc superbia ejus affectat ascendere : d To. 2.  
 Superbia eorum qui te oderunt (c) (ô Deus!) e Ian. Ger.  
 ascendit semper. Lutherus igitur nunc se de- f. 522. &  
 predicat fidelem Prophetam, (d) nunc Aposto- f To. 3. f.  
 lum, Evangelistâ, viventē sanctum &c. (e) Nunc 334.  
 Eliam ac Isaiam, (f) Doctrinam suam atque g To. 4. f.  
 H 5 Evan- 186. &  
 280.



*a In argu.*  
*ps. 71.*  
*b In col-*  
*loq. men-*  
*sal f. 488.*  
*lib cont.*  
*statum*  
*Eccles.*  
 Evangelium, ait, *se non ab hominibus,*  
*de caelo tantum, per Dominum nostrum Iesum*  
*Christum accepisse (a).* Addit admodum pra  
 fidenter ac jaetabundè: (b) *Ego, inquit,*  
*certus sum, quod Christus ipse me Evange-*  
*listam vocat ac reputat, qui doctrina mea*  
*magister est, atque etiam testis erit in novissimo die,*  
*quod mea non sit, sed ipsius purum Evangelium.*  
 Audisti novum Prophetam, novum Apo  
 stolum, & Evangelistam, qui non minore  
 more ac arrogantia se Christi Evangelistam  
 quam olim Manichæus (c) se Apostolum  
 cavit? Nec hæc tamen gloriatio superbo ip  
 satisfacit animo: eò enim jaetantiæ est prog  
 d *Serm de*  
*destru. H.*  
*Jerusal.*  
 sus, ut veritus non fuerit dicere. (d) *Evange-*  
*lium tam copiosè à se, & suis prædicatum fuisse,*  
*ut ne Apostolorum quidem tempore tam clarum*  
*umquam fuerit.* Quis ad hæc non obstupe  
 cat? Quis non hîc hominem hunc præ  
 bia insanire exclamet? Anne fortè propter  
 ejus tempore purius quàm Apostolorum  
 prædicatum est Evangelium, quia DEUS  
 ipsi copiosus, quàm Apostolis sua arca  
 communicaverit? Et hoc quidem ipse  
 de se sentire verba ipsius haud obscure  
 dicant: imitatus proinde perbellè est  
 ritum suorum veterum hæresiarcharum  
 tum: nam & Valentinus, ejusque com  
 litones tam elati, tamque de se alta sentientia  
 fuisse tradit D. Irenæus (e), ut se non Episc  
 pistantum, qui tum Ecclesiis præerant,

*e Irenæus*  
*lib. 3. c. 2.*



ipsis etiam Apostolis doctiores & sapientiores esse jactarent : Apostolos enim Christi doctrinam legalibus documentis mentiebantur adulterasse : se verò puram, & ab omni externæ opinionis admistione integram tradere jactabant. Quis hîc non videat Valentini animum regeneratione quâdã Pythagoricâ in Lutheri corpus transmigrasse ? Nam & Lutherus conqueritur (a) Evangelium doctrinâ legis a Serm. de Moysse VVitteimb. ann. 1526. obscuratum. Quare Moyssem & legem rejicit, & Christo cum eis nihil commune esse, asserit. b Lib. contra Eccl. Necdum pedem fixit novus Evangelista, altius ascendit: Ego, inquit (b) *neque Papæ, neque Imperatori, sed ne Angelo quidem de cœlo doctrinam meam submittere judicandam volo. Sed* si. *quoniam de ea certus sum, per eam judex esse volo, non modò hominum, sed etiam cunctorum Angelorum: quia judicium meum Dei judicium est.* O monstrosæ superbix inauditam præsumptionem ! Monachus excucullatus, Apostata, incestuosus, Christum judicandi potestate, quam illi Pater dedit, (c) privans, c Ioan. 5. testem constituit : se verò, & hominum & Angelorum omnium judicem creat. Quin etiam, ut Noguera observat, (d) suum judicium Dei æquat judicio. An non igitur palam in Luthero agnoscat spiritus ejus, qui dixit : (e) d De Eccl. Christ. lib. 1. e Isa. 24. *Ponam solium meum super nubes, ascendam, & similis ero Altissimo ?* Quis, inquam, non videat Lutherum, velut alterum Donatum, de quo suprâ sermo fuit, *quasi homi-*



hominum exceſſerit metas , ſe ut Deum , non  
hominem eſtimaffe. Hæc cum ita ſim  
quis jam in animum inducat , ut credat  
Lutherum , ejuſve diſcipulos , ad Evan-  
gelicam , ſeu cœleſtium rerum agnitionem  
perveſſiſſe, quæ S. Auguſtino Doctore , (a)  
*Bona ſpei hominem , ſe non jaçantem , ſed  
mentantem facit.*

a De doct.  
Chriſti.  
lib. 2. c. 7.

Audivimus Lutherum , velut phreneti cogi-  
reptum , ſe ſupra omne nedum mortalium  
genus , ſed & ſupra Angelos ad Deitatis glo-  
riam elevaſſe : qua in parte diſcipuli  
jus haud impudentius nugantur , teſte U-  
lenbergio Lutherano converſo , (b) ce-  
cellentiam enim quam ſibi tribuit Luth-  
erus , magno exaggerant fœnore. Ve-  
rant enim eum , (c) *Alterum Joannem  
Baptiſtam , tertium & ultimum Eliam  
in mundo , poſtremam tubam D E I , Ange-  
lum D E I , magnum Prophetam , potentem  
in opere & ſermone : virum ſecundum cor De-  
i magnum & mirabilem virum , ſanctum  
& gratioſum , pretioſum virum D E I.* E-  
inquit Michaëli Neander , (d) *Chriſti  
DEUS aliquis Theologorum ſolus inter Theo-  
logos maxime Theologus , ſummus & maxi-  
mus Eccleſiæ Doctore , quem DEUS multa  
ante per D. Pauli & Huſſi os Eccleſiæ pro-  
miſit.* Ut breviter dicamus cum Ulenber-  
gio , Lutherus illis eſt omnia in omnibus  
quemadmodum Mattheſius loquitur. (e)

b Lib. de  
cauſis per-  
manendi  
in Eccleſia  
cap. 7.  
c Amſdor-  
fius Sar-  
cerius, &  
alii paſſim.

d In expli-  
cat. orbis  
terra part.  
lib. 8.

e Conc. 16  
de Luther.  
pag. 203.



Pluris æstimant unicum illum hominem ,  
 quàm omnes Ecclesiæ Doctores , quotquot  
 post Apostolorum tempora fuerunt. Unde à  
 Matthæio (a) *Supremus Ecclesiæ Pater* appel-  
 latur. *Non fuit à temporibus Apostolorum quis-*  
*quam*, inquit Amsdorfius, (b) *in orbe christia-*  
*no*, neque quisquam veniet, qui cum D. Mar-  
 tino Luthero, qui quo ad spiritum, fidem, sapi-  
 entiam & intelligentiam veritatis attinet, com-  
 parandus sit. Addit Alberus. (c) *Erat verus*  
*Paulus*, & *verus Elias*, vir qui Dei furorem  
 avertere poterat. Et iterum: *Dignus Martinus*  
*doctior est*, quàm omnes Ecclesiæ Doctores post  
 Apostolos. Certus etiã sum, omnes Do-  
 ctiores, qui non à DEO secundùm D. Martini  
 doctrinam edocti sunt, nihil de DEO scire.  
 Non dubito, quin D. Augustinus, si nunc vive-  
 ret, se D. Martini Lutheri discipulum sine pu-  
 dore profiteretur. Consimilia non erubuit  
 effutire Andreas Musculus: (d) *Post Aposto-*  
*lorum tempora*, nugatur, non vixit, aut in  
 mundum venit major Luthero. Et bene dici  
 posset, D E U M omnia sua dona in hunc  
 unicum hominem effudisse; & tam magnum  
 esse discrimen inter Doctores veteres & Luthe-  
 rum, quàm est inter splendorem solis &  
 luna: neque dubium esse, quin veteres Pa-  
 tres, etiã qui sunt inter eos primi &  
 optimi, ut Hilarius & Augustinus, si cum  
 Luthero eodem tempore vixissent, & do-  
 cuissent, sine rubore laternam illi ( tanquam  
 mini-

a Conc. 8.  
 de Luther.  
 pag 88.

b Prefat.  
 to 1 Gertr  
 Lutheri.

c Lib. 7.  
 contra  
 CaroloSta-  
 dium.

d Prefat.  
 in libell. de  
 diaboli  
 tyrann.



ministri ) pratulissent. Hujus generis & alia complura insolentis superbiæ deliria in libris Luthericolarum reperire licet : cujusmodi est & distichon istud :

*Christus habet primas, habeas tibi Paule secundas :*

*At loca post illos proxima, Luther habet.*

*a Præfat.  
in tom. 1.  
Luther.*

Amsdorfius tandem (a) ( ut finem faciam scribendi , ubi non est finis superbiendi ) asserit ; *A Divi Pauli & Apostolorum tempore quomodo stetit Christianismus , neminem fuisse , qui de Christiana doctrina tam bene scripserit , quam Lutherus ; adeoque libros ejus adeo pretiosos esse , ut omnes totius mundi divitiæ & opes , non possint comparari.*

*b Florem.  
Rom. lib.  
7. cap. 9.*

Hæc intolerabilis arrogantia, atque inaudita temeritas , in aliis quoque Sectariis invenitur : nam quo loco Lutherum Lutherani eodem & aliæ Sectæ suos habent Principes Doctores. Calvinus sæpe in has jactabundas voces palam erumpebat : (b) *Vobis ego dixi, vos scitis Prophetam me esse. Sed & Campanus hæretic<sup>9</sup> teterrimus, scholæ Wittenbergenfis discipulus, de se teste Luthero , ausus est gloriari*

*c Colloq.  
mensal.  
Germ.  
fol. 354.*

(c) *Secularius & luculentius loqui de vera Christi divinitate , eamque suis coloribus melius et ornare posse , quam ipsum Evangelistam Ioannem*



*mem.* Librum Philippi Melanchthonis , cui titulus : *Loci communes* , supra modum extollit Lutherus , eumque *invisibilem* appellat : *Meo iudicio* , inquit , *non solum immortalitate , sed Canone quoque Ecclesiastico dignum . O insolentissimam adulationem !*

An non hæc omnia aperte demonstrant , hos homines superbiâ suâ excecatos penitus ignorare veritatem , & divinam ac cœlestem illam scientiam sanctorum , quæ & animum suam docet submittere , seque ac suam infirmitatem agnoscere ? Quis credat eos discipulos CHRISTI , qui ait : (a) *Discite à me quia mitis sum* <sup>a MATT. II.</sup> & *humilis corde* , & non potius satanicæ superbiæ , ac Anti-Christi imitatores ? Tales Thrasones tam ab omni humanitatis natura alienos , tam alta ac fastuosa de se prædicantes , seque tam magnificè extollentes , an intra sua sacra admittat Spiritus sanctus , qui nihil æquè ac superbiam , atque animi elationem execratur ? Non potest à tanta superbia nasci veritas , sed falsitas , Evangelium non statui , sed proculcari . Relinquitur ergo ex istis omnibus meridiana luce clarius probatum , omnium hæresum matrem esse superbiam : quod de hæresibus novissimis luculenter quoque ostendit Eminentissimus Hofius , (b) <sup>b Lib. 5. de Catholicis Eccles.</sup> *cujus verba , anacephalæosis vice , subnecto.*



Et. „ Sed si quis Brenri, rectâ ratione expen  
 „ dat hujus discessionis , quâ vos à nobis ne  
 „ fario schismate separastis , arrogantiam , fa  
 „ stum , proterviam vestram præcipuam fuiss  
 „ causam dixerit. Nam cum non nihil gratia  
 „ rum , donorumque suorum Deus in vos  
 „ benignitate contulisset , cum nec ingen  
 „ um vobis , nec doctrina , nec linguarum  
 „ peritia , nec præclara plerisque dicendi ter  
 „ bendique facultas deesset , has esse DE  
 „ gratias obliti ( quas ille sicut non pat  
 „ cis Catholicis , ita vestrum quoque non  
 „ nullis largitus est ) sic vos ipsos amare , si  
 „ vobis ipsi placere , sic vos magnificè effe  
 „ re cœpistis , atque eò insolentiæ prorupistis  
 „ ut haud aliter , quam si à vobis verbum  
 „ DEI processisset , aut in vos solos perven  
 „ set , illius possessione reliquos omnes ex  
 „ cluderetis , & universum orbem Christia  
 „ num aut cœcitatibus , quod non videret  
 „ Scripturæ ea , quæ vos videre vobis vide  
 „ mini , aut impietatis , quod sciens prudens  
 „ que agnitam veritatem oppugnaret , con  
 „ demnaretis.

„ Hæc arrogantia vestra præclarum  
 „ iud pacis vinculum rupit , quo fueramus  
 „ in unitate spiritus colligati. Nam cum  
 „ lo , qui postea detractus est in infer  
 „ num laci , visi estis in cœlum conscendere  
 „ super astra D E I exaltare solium ve  
 „ strum , ascendere super altitudinem nubium



& esse velle similes Altissimo. Quicquid à  
 sanctis Patribus traditum, quicquid Conci-  
 liorum auctoritate constitutum, quicquid  
 incredibili totius Orbis Christiani consensu,  
 tot sæculis est receptum, id tanquam homi-  
 num commentum rejici: quod autem vobis  
 placuisset, id tanquam Dei Verbum ab om-  
 nibus adorari voluistis. Quorsum autem a-  
 liò spectant hæc, quam quod vos pro Diis  
 coli ab imperita multitudine cupiebatis? Et  
 certè queritur Osiander, quod triginta sex  
 loca produxerit è Scripturis, quibus habita-  
 re Deum in nobis, demonstravit: neque ta-  
 men pro Dei verbo, quod è Scripturis pro-  
 tulerat, habitum fuerit: simul ut idem hoc à  
 Philippo dictum est, statim tanquam Dei  
 verbum adoratum esse. Hæc itaque divini-  
 tatis affectatio, quæ & Cherub illum sapien-  
 tia præstantem de cælo, & primum paren-  
 tem nostrum de paradiso deturbavit, vos à  
 compage Christi corporis, una, sancta, Ca-  
 tholica & Apostolica Ecclesia divulgavit.

Ac initium quidem hujus rei, profectum  
 est ab ea, quam rectè Paulus (a) vocat ido-  
 lorum servitutem, avaritia, cum quem sibi  
 suisque deberi quæstum Lutherus putabat,  
 eum ab aliis intercipi ferre non posset. Sed  
 fuit ista causa quædam discessionis remotior.  
 Cæterum postquam ei non defuerunt ap-  
 plausores, qui cum illum solida plaustra con-  
 vitiis onusta, in mores vitamque nostram

a Ephes. 5;



„effundent eum viderent subinde *euge euge*, 20  
 „clamabant : ea demum res animum homin  
 „addidit, quòmin<sup>9</sup> cunctanter ab unitate Ec  
 „clesiæ discederet. Non igitur doctrina nostr  
 „judicio vestro parū pia, sed superbia vestra  
 „minor, quàm fuit illius Angeli, quem de ca  
 „lo de ectum paulò ante commemoravimus  
 „discessionis hujus causam dedit. Quod  
 „spiritus minus altos gessissetis, si, quemad  
 „modum nos esse dicitis, ita & vos homines  
 „atque hoc ipso errori obnoxios esse recorde  
 „ri voluissetis : si, quod monet Paulus, (a)  
 „nihil per contentionem, neque per inane  
 „gloriam, sed in humilitate superiores sibi  
 „vicem arbitantes, ei parere, in animus  
 „inducere potuissetis, numquam hæc tan  
 „perniciosa & sacrilega separationis consili  
 „amplexi fuissetis. „ Hæc Illustrissimus Ho  
 „sius, quibus à nobis dicta ac probata mirificè  
 „confirmantur : ex quibus etiam liquet, veris  
 „simum dixisse Floremundum Remundum, cui  
 „pronuntiavit, Lutherum *initio nihil in hanc  
 „renam protraxisse, quàm gloria desiderium.* A  
 „deòque & S. Augustini sententia (b) nedum  
 „de Donatis, verum & Lutheranis verificatis  
 „hæreticis : *Abundant lupi, abundant latrones.*  
 „*ipsi sunt, qui per alteram partem ascendunt. Qui  
 „sunt isti qui ascendunt ? Qui de parte Donat  
 „(Lutheri, Calvinii &c.) volunt depredari  
 „ves Christi : ipsi per alteram partem ascendunt,  
 „non per Christum intrant, quia non sunt humi*

a Philip. 2.

b De ver-  
bis Dom.  
serm. 49.



les, quia superbi sunt, ascendunt. Quid est ascendunt? Extolluntur. Unde ascendunt? Per alteram partem. Unde de parte dici volunt, quibus in unitate non sunt: de altera parte sunt, & de ipsa parte ascendunt, id est, extolluntur, & volunt tollere oves. Quomodo ascendunt, videte. Nos, inquit, sanctificamus, nos facimus justos. Hæc Augustinus, quibus hanc de superbia, ut prophanæ novitatis causa, tractationem concludo, & gradum facio ad avaritiam.

## Caput II. Hydræ.

*Effrenata avaritia est schismatis,  
ac prophanæ novitatis, seu irre-  
pentis hæresis causa.*

**E**X superbia, quæ secundum Ecclesiasticum est initium omnis peccati, nasci prophanas, seu hæreticas novitates, scelera longè perniciosissima, caput superius luculenter demonstravit. Nunc se tractandam offert alia haud minus fecunda criminum parens, avaritia, de qua Apostolus: (a) Radix, inquit, omnium malorum est cupiditas, id est, inordinatus opum temporalium appetitus, quem item homines ad hæreticas impellere novitates, præsens probabit caput. Et, ut cum Apostolo prosequar orationem, is expressè asserit (b) avaritiæ mor-

a Timotheo.

6.

l. ibid.